

minus, nec qui eum cœco stimulo actus sequitur, MAXIMILIANUS SANDAEUS, quod utrique recte exprobrat JACOBUS LAURENTIUS in defens. conscientiae cauteriatae Jesuiticae p. 153. introspexerunt locum Epiphaniï, non enim ibi Proclum haereticum pronunciat Epiphanius, sed potius Origenem, de quo ibi agit, ex Proclo confutat, qui in toto sermone non inerudito, nihil plane habet, quod aures & mentem legentis offendat, si universam orationem inter se rite conferas. Scribit enim, quamdiu corpus nostrum vivat, nec adhuc mortuum sit, cum eo etiam vivere peccatum, τὰς ρίζας ἐν ἡμῖν εἶναι ἀποκρούπτεσθαι, nec penitus extinguï, donec in futuro statu omnis radix etiam mali evellatur & tollatur, idque ex Rom. VII, 18. probat, & tandem concludit: ἕτως ἕδέπω τὴν ἀμαρτίαν αὐτότρεμνον ἐκ ριζῶν διακοπῆναι συνέβη: ut ita Proclus concesserit, per baptismum reatum peccati aboleri, per renovationem quotidianam reprimi ac coerceri, ne dominium affectet, radicem vere ipsam nonnisi in morte tolli. Quae sententia nihil in se vitii habet, sed doctrinae ecclesiae nostrae purioris conformis est, ut sic Procli illius nomine parum famae nostrae detrahatur. Quid? quod DIONYSIUS PETAVIUS non praeter rem existimet, Procli nomen per errorem irrepsisse in Epiphaniï textum, & verba omnia pertinere ad Methodium, ex cuius oratione de resurrectione contra Origenem haec ab Epiphanio fuerunt excerpta: & in qua nomina colloquentium fecerat Aglaophon-tis, Procli, Auxentii & sui ipsius. Jam de Methodio constat, eum fuisse incorruptum & Orthodoxum, talemque mansisse, quantumvis enim Socrates scribat eum recantavisse, & Origeni rursus favisse, Hieronymus tamen fidei ejus testis est, quam etiam martyrio sub Decio & Valeriano ob-signavit. Conf. PETAVIUS ad Epiph. Panar. haeres. 64.

G V I L.